

res reperire possem, quos una cum planta ad R. M. T.
pedes effunderem. Cum autem nullos invenirem,
dolui equidem vicem meam, qui præstare ea omni stu-
dio atq; diligentia mea non possem, quæ ingenio suo
& naturæ bonitate singulari planta illa præstitisset,
cogitaviq; nihil ad excusandam ingenii mei tenui-
tatem a me afferri posse opportunius atque illustrius,
quam si dicerem, quoniam R. M. T. gloria semper
visa sit omnibus insolita atque inusitata, & a com-
muni Summorum Principum fortuna sæpe recedat,
hinc factum esse, ut aliorum Regum atque Princi-
pum virtus & conditio debeat ab eloquentissimis
hominibus commendari, TVAE autem R. M. laudes
a mutis etiam possint plantis celebrari. Accipe ergo
REX SERENISSIME ATQVE POTENTISSIME,
temporumque nostrorum AVGVSTE, hanc inge-
nii mei herbulam, si non florem, quæ tamen in viri-
dario Musarum, quod in ripa Viadri plantavit MA-
IORVM TVORVM virtus, sæpe rigavit clementia
TVA, inter cetera studia mea succrevit, nec succre-
visset forte, nisi inusitata & prope divinæ laudes
TVAE etiam ex infelicibus & ineptis ingeniis pos-
sent fœtus elicere, quemadmodum sola præsentia
TVA Kæpenici fecit, ut subito præter omnium spem
atque expectationem Aloë omnem impetum suum
& florem in aëra effunderet. Felicitati seculi nostri,
vel potius DEI immortalis in nos singulari benigni-
tat i

tat i